



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio I. De donis in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom. q.
7. a. 5. & 6.

DISPUTATIO L.

Vtrum Christus habuerit dona.

S. Thom. art. 5.

SECTIO I. De donis in communi.

SECTIO II. De dono timoris. S. Thom. art. 6.

SECTIO I.

SECTIO II.

De donis in communi.

De dono timoris. S. Thomas art. 6.

§. 1. **D**ona communiter dicuntur esse virtutes supernaturales, quibus creatura rationalis prædò est ad obediendum Spiritui sancto tangenti cor per illustrationes, & impulsus. Aliqui ea distinguunt à virtutibus per se infusis: Alexander verò & P. Valquez nequaquam, opinantes dona esse habitus per se infusos valdè intensos, connotando specialem providentiam Spiritus sancti ad regendam creaturam, in qua sunt, vt faciliè assequatur finem, ad quem refertur donum illud: vt fortitudinis donum ex. gr. est ipsa virtus per se infusa fortitudinis connotans vocationes congruas speciales ad aggrediendas res arduas, & superandas difficultates.

§. 2. In intellectu sunt quatuor dona. Intellectus, quem S. Thomas 1. 2. q. 68. art. 4. ait pertinere ad apprehensionem in ordine ad speculanda mysteria. Secundum, est sapientia diiudicans de iisdem mysterijs. Tertium, consilium pertinens ad apprehensionem practicam de rebus agendis. Quartum, scientia, quæ iudicat practicè de iisdem. Tria priora fuisse in Christo non dubium. De consilio res est certa ex cap. 11. Isaia n. 2. vbi de Christo hæc ait: *Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientia, & intellectus; spiritus consilij, & fortitudinis; spiritus scientia & pietatis.* Consilium enim non includit in suo conceptu ordinem ad dubitationem, sed eminentem cognitionem ex dono speciali Dei ad dirigendas actiones. Imò Deus ipse dicitur profundissimi consilij esse; non quòd illi tribuatur simplex apprehensio, sed perfectissima cognitio, qua dirigitur diuina voluntas.

§. 3. Ad voluntatem pertinent tria dona. Primum pietas ad cultum Dei; vel, vt alij volunt, ad subueniendum egenis: quam Christus eminenter exercuit, & exercet modò Deum colens, & apud eum interpellans pro nobis. Secundum fortitudo, quam portendenter exercuit aggressus & passus turpissimam & crudelissimam necem pro gloria Dei, hominum que salute. Nunc autem complacet sibi in rebus: habitus enim hic fertur in labores secundum se ferendos pro Deo: ad quem spectat absentes quaerere, ferre præsentis, de præteritis autem gaudere. hæc enim olim meminisse iuuabit. Iam dixi vol. 2. disp. 108. §. 30. manere virtutes morales in patria, exercentes amorem strictum de suis obiectis secundum se, & gaudium de illis, vt exercitis. ita manet in Christo fortitudo.

§. 4. **T**ertium donum est timor, quem in Christo fuisse testes sunt, Isaia supra asserens Christum repletum spiritu timoris Domini; & Innocentius II. id diffiniens contra Petrum Abailardum. In patria remanere aliquem verum timorem, patet ex psal. 118. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.*

§. 5. Dices, timorem illum permanere non re, sed in præmio. Contrà: In præmio etiam manet fides, quæ tamen nusquam dicitur manere in patria, sed potius euacuari. Deinde in præmio manet etiam timor seruilis: quia manet iustitia, ad quam disposuit; & augmentum gratia, quod impetrauit in homine iusto, vt explicui in disp. de forma iustificante. B. August. tom. 9. tract. 9. in epist. Ioan. ad medium conciliat hoc testimonium psalmi cum testimonio Ioan. epist. 1. cap. 4. v. 18. asserentis non esse cum charitate timorem; asserens timorem, quem Ioannes ait non manere, esse seruilem; manere autem timorem sanctum & castum: quia seruilis fertur in pœnam imminentem, quæ non timetur in patria; filialis verò non fertur in pœnam. Quem August. explicat his verbis: *Ille timor, quo times ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, nondum est castus: non enim venit ex amore Dei; sed ex timore pœnæ: cum autem times Deum, ne deserat te præsentia eius, amplecteris eum, ipso frui desideras.* Vnde colligo duo alterum, hoc testimonio August. non leuiter confirmari vtramque conclusionem S. Thomæ distinguentis timorem personæ, à timore pœnæ alterum, indicari ab August. timorem hunc esse à charitate: ait enim de seruili, *Non venit ex amore Dei.* Et confirmatur exemplo de vxore amante maritum, & alia timente: item, quia ait oriri ex affectu, ne vniquam auellatur à Deo, vt contingit amicis. interdum autem insinuat August. timorem hunc oriri ex habitu spei; quia est ex desiderio, ne deseratur à Deo.

§. 6. Possumus autem considerare malum culpæ & pœnæ secundum se, vt possibile nobis absolute, & Christo ratione animæ, & in illo malo displicemus, licet illius simus omnino securi. item que possumus affectum aliquem reuerentiæ exhibere Deo, quatenus potest absolute illud. At verò non possunt Beati concuti timore, neque affligi de illo malo vt imminente, aut futuro. quem timorem definit Aristor.

§. 7. Hæc hic perstrinxi: quia de eis latè disserui
vol. 2.